Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

NÜRNBERG

Bibliographische Daten

Titel:	Hartmann Schedel: Liber chronicarum – Nürnberg, STN, Cent. II, 98
Signatur:	Cent. II, 98

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

nobiliores edes direxisse dirutasque fuit. Nec templum in ea urbe lesionem non sensit. Sed hodie iam civitas ferme refecta est
et civium diligentia et regis liberalitate. Ceterum clarissimi regis, qui seculum nostrum veluti sidus quoddam prefulgidum illustravit,
haud ab re fuerit quam brevissime velut in epilogo preclara facinora percurrere, quamvis temporis a nobis recepti plerumque
modum excedat. Ex quibus illustriora huiuscemodi sunt. Adolescens mortuo Ferdinando patre Aragonie et que ab
illo in Hispania regna suscepit, cum aliquamdiu sapienter administrasset, adoptatus in filium a Iohanna Neapolitanorum re-
gina, dissuadentibus cunctis expeditionem in Italia suscepit. Regine opem tulit, Ludovicum ducem Andegavensem, qui regnum
sibi hereditario iure debitum affirmabat, pluribus preliis afflictum expulit. Reginam, que malo usa consilio ab se defecerat, non pa-
rum punivit quam coercerat. Renatum alterum regni emulum armis virtute cedere compulit. Iohannem Vitellescum Alexandrinum
patriarcham magnis copiis insultantem regno fugavit. Caietam bis cepit, semel acri pugna devictus, et item civitatem pro-
te victus ac defessus. Neapolim, quamvis Renatus et magnus inesset, vi plus expugnavit. Regem fratrem Navarre regem
in Hispania laborantem armis adiuvit. Massiliam insignem provincie civitatem noctu adorsus obtinuit ac diripuit. Ad
insulam Gerbum, quam veteres Lothophagiten appellaverunt, a continenti Africe quattuor milia passuum distantem, obsidio-
nem admovit. Bofocium provincie regem cum copiis advenientem in proximo littore victum ex medicis castris ad maiora fugere compu-
lit. Nec diu post ex eisdem barbaris tributa suscepit. Ab Eugenio pontifice maximo, qui sibi de regno contrarius esset, quas tradere
voluit leges pacis accepit. Franciscum Sfortiam ex agro Piceno armis deturbavit, et in Albania et in Oriente per suos duces
Turchis infestus non parva eis damna intulit. Bis Florentinos ob res Gallicas armis afflixit, bis eis pacem petentibus concedit.
Sed maius omnibus est, et admiratione stuporeque dignius, quod prelio navali a Genuensibus una cum duobus fratribus superatus, et in Philip-
pi Mediolanensium ducis captivitatem adductus, mox liberatus potentissimo regno potitus est, et a victoribus victor tributum ac-
cepit, et adeo erga Philippum gratiam invenit ut ab illo suprema voluntate heres sit nuncupatus. Vera Gothorum soboles, ex
quibus derivatum esse regium Hispanie sanguinem unde Alfonsi et origo est haud quaquam ambigitur. Illis et prelio vince- prelio
re et regna sibi subicere proprium fuit. Cuius vestigia Ferdinandus imitatus haud dissimilem filium genuit. Quibus et ipse Arago-
niam, Cathaloniam, Valentiam, Siciliam; Alfonsus vero etiam Italie partem, que olim magna Grecia dicta est, pugnando
instando vincendo sibi subiecit. Et magister Italice pacis factus Hispanicarum quoque rerum moderator et arbiter esse
videtur.

Deo gratias

Summa diligentia hanc Europam nec minori
labore castigatam emendatamque experieris
4ta aprilis anno 1493

Suma diligentia haec Europam nec minori
labore castigatam emendatamque experieris.
4a April. 1493.